

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PRAECIPUIS OCULORUM
MORBIS
INTER ESTHONOS OBVIIS

QUAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OPTINENDO

H. L. Q. C.

DIE XVI MENS. DECEMBRIS MDCCCXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS JOANNES DE SEIDLITZ
REVALENSIS.

SECTIO I.

DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCXXI.



Imprimatur,

ea quidem conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-
rum mandata est, tradantur.

Dorpati die viii. Dec. mdcclxxi.

Dr. Chr. Fried. Deutsch,
h. t. Decanus.

D16749

V I R O

NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO

DOMINO

ALEXANDRO DE SCHWEBS,

ORDINIS S. VLADIMIRI EQUITI ETC.

PRO BENEFICIIS INNUMERIS IN SE COLLATIS

HASCE PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

OFFERT

AUCTOR.

In andern Organen ist es ein Gewirre von räthselhaften Erscheinungen, in welche das Bild der Krankheit häufig verzogen ist: die Enthüllung derselben geschieht allmählig in einer Reihe mannigfaltig in einander verflochtener Phänomene; — da *Einem* geistvollen Blicke auf das kranke Auge die innerste Tiefe seines Leidens sich eröffnet. Alles ist Bedeutungsvoll — sein Starren ins Weite, Unbestimmte. Haltungslose, — oder sein ängstliches, scheues Umheritreten, das Licht suchend, und an den ihm verhüllten Gegenständen vorüber gleitend.

Ph. Fr. Walther. Abhandlungen aus d. Gebiete d. pr. Med. u. Chir. etc. I, p. 359.

Lecturis humanissimis

S. P. D.

Carolus de Seidlitz.

Ne dissertationis inauguralis transgrediar limites, totum, quod titulo indicavi, thema minime hic, quamvis in animo erat, vobiscum communicari licet. Primam ideo sectionem, sive introitum, momenta exhibentem caussalia morborum oclarium inter Esthonos obviozum, aequè recipiatis, quaeso, mente. — Peculiarem oculi Esthonicì, quantum absque imaginibus fieri potest, delineavi fabricam, cui suffulciens deviationum ciliorum frequentiam aliasque diversitates apud indigenos explicarem. Anni temporum constitutiones enarravi, cumque diariorum clinici adnotationibus, oclarios morbos spectantibus, comparavi, ut inter utra-

que, qui existat nexus, clarius patesceret; eundemque in finem catalogum comparativum conscripsi. Etiam, quae in Esthonorum vivendi ratione propriae latent potentiae nocentes respectu oculorum adfectionum — exhibui; — nam sane notatu dignissimae sunt, rustico si domi mederis. Universos gentis, qui potissimum in oculos exerunt efficaciam, morbos brevi referendos credidi; et ex arte ophthalmicâ, ab ipsis ruricolis excultâ, nonnulla — certe non omnia — carpsi remedia, ut medicus occultam saepe suspicere possit causam, si inopinato in pejus vertitur oculi malum artisque offenditur praestantia.

Reliqua, Deo favente, in posterum. Valete!

I N T R O I T U S.

*De Esthonorum varietate nativa in genere
et oculorum fabrica peculiari in specie.*

Esthoni — undecunque immigraverint — mille jam, et quod excurrit, annos in nostra provincia consessi, primarium ipsorum characterem gentilitium sensim amiserunt, harumque terrarum climati congruam assumsere faciem. Sed non solum climatis, verum etiam summae, in qua versabantur, ignorantiae et inopiae experti sunt cruciatus, ac, exceptis linguâ, vestimentorumque cultu — paullulum e pristino sibi servabant characterem gentilitio. Celebrant carminibus et fabulis proceram atavorum staturam, artuumque molem, quid? quod Herculis cujusdam Esthonicæ opera heroumque depingunt splendorem;

dum ipsi pusillanimes atque membris contracti non nisi cum agro, morbo et penuria luctantur,

De corporis animique habitu bene jam disseruit ill. Baer in diss. *de morbis inter Esthonas endemicis*. Dorpati 1814, p. 42; nostrum adhuc est, pauca de capitis et faciei conformatione huc referre. Patet autem, Esthonos a varietate Mongolica (Blumenbachii), cui plerumque adscribuntur, quamque s. c. depingit C. G. Baer: „Regreditur frons, prominent arcus zygomatici, admodum oculi distant, quibus parva praeterea palpebrarum et obliqua est incisio. Color est gilvus, capillus niger, rigidus, rectus. Omnis quasi tumida apparet facies, circa nasum praesertim“ (diss. *Analecta ad semioticen faciei*. Berol. 1819. p. 11) perquam alienos esse. Monstrant Esthoni frontem declivem, haud adeo altam, sed in latitudinem potius detractam. Prominent, velut in Aethiope, arcus supraciliares et processus zygomaticus ossis frontis, qui cum processu frontali ossis zygomatici marginem externam orbitae satis elevatam efformat. Quum recedant ossa nasi et parvae ceterum sint molis, pars cartilaginea nasi apice rotundo osseam superat. Exsucca et quadrangularis adultorum est facies, rotunda et tumida in puerilibus et adolescentibus. Capillus flavus, rectus, mollis, in junioribus plane lino similis, et qui

fuscis, vel atris crinibus incedit Esthonus certe adulterinus est, vel e-permitione cum aliis incolis obortus. Cutis color albicans, facie, collo, pectoris parte et manibus exceptis, quae nimirum partes aestate aequae ac hieme denudatae et solis radiis expositae badio fere colore induuntur. Sed brevi, opere rustico abstinentes, vel in urbe viventes, niveum fere recuperant candorem.

Quum maxime nosmet vero oculorum tangat fabrica, uberius hac de re disseremus.

Binae aliqua ratione oculorum formae inter Esthonos distingui possunt:

- 1) Oculus eorum, quibus facies ovalis, torosa, succiplena, cuti alba evestita, formositateque speciem prae se ferens. Pertinent huc praecipue pueri, adolescentes, puellae et virgines, quorum vultui perfecta organismi figuratio nondum gentilitia insculpsit lineamenta; attamen servant nonnulli in senectutem usque depictam faciei speciem.
- 2) Oculus hominum utriusque sexus cum facie lata, plana, naso recedente, cuti badiâ oblectâ. Provectiori in primis aetate iste proprius esse consuescit vultus, cujus tamen lineamenta saepe, licet minus distincta ob juventutis turgorem pinguedinisque obvescentis copiam, et in junioribus suspicari

potes: evanidâ vultus plenitudine figuram modo definitam acquirunt.

Ad I. — Arcus supraorbitalis, superciliis prope adjacentibus tectus, nonnihil procedit, modicam efformat flexuram et in processum zygomaticum recedit. Basis orbitae rotunda, ampla; orbita ipsa haud nimis excavata, pinguedine satis expleta, — bulbus ideo normaliter prominens palpebrarum mediam partem extrorsum cogit, ut levem forment fornicem, ipsumque bulbum leniter premant. Margines palpebrarum bene sunt angulati, ciliisque densis conferti, quae saepius multiplicem in thalamo succoso faciunt seriem. Ceterum satis aperiri potest palpebrarum rima, ita, ut iris, coeruleo plerumque colore tincta, in toto ambitu transpareat. Caruncula lacrymalis complanata est, Ob totius corporis habitum obesum ad mucosâs secretiones pronum est visus organon et ipsa scleroticae corneaeque conjunctiva ejusmodi affectionem participat. Benigno tamen caractere, quod secernitur, apparet, atque, humore lacrymali permistum, tenuioris est consistentiae et, defluens, raro crustas illas gignit duras, quales in s. d. psorophthalmia observamus.

Ad II. — Arcus supra orbitalis, superciliis hispidis, constipatis et implicatis obsessus, valde prominet, protractisque margine orbitali exter-

no et osse zygomatico — flexuram nullam efformat, ita, ut nasi radix in eadem fere lineâ rectâ sita sit cum ambobus marginibus orbitalibus externis; quâ de causâ *plana* nominanda est facies, Quum ceterum profundius intret orbita et minimâ adipis copiâ expleatur — oculorum bulbi etiâ jâsto profundius collocati videntur. Ex hâcce orbitae constructione facile elucebit, palpebrarum formam a normali recedere. Veli ad instar processum frontalem ossis maxillae superioris inter et marginem orbitalem externum diductae parumper media in parte a bulbo abscondito antrorsum coguntur, sed plane et minimo pressu oculis superjacent. *)

Tarsus ideo, minime ad internam superficiem concavus, nec ad externam convexus, *recte* inter m. orbicularem et conjunctivam jacet, utque chorda extensa facile circum axem longitudinalem volvi potest, quod eo minus impeditur, quum parvâ ipsius latitudo exiguo tantum sit

*) Similiter disserit Schreger in: Abhandl. d. phys. med. Societ. z. Erlangen. Tom. I, p. 401: „Unter den Asiaten, welche kleine, tiefliegende Augen haben, zeichnen sich die Tartaren, und unter diesen die nogaischen Tartaren, die Baschkiren, Jakuten und Kalmücken, durch ihre kleinen, fast immer blinzenden Augen aus, welche auch wegen des weitem Hervorspringens der Wangenknochen, wodurch der darauf liegende Ringmuskel gleichsam in die Länge gezogen wird, eine länglichte Form erhält.“

obstaculo. Extremitas porro externa harum cartilaginum *) haud, ac in aliis oculis, cum pal-

*) De palpebrarum structura auctorum scripta perquirere miratus sum, omnes scriptores plus minusve in celeberr. Zinnii verba jurasse, Winslowii aliorumque descriptionem plane neglexisse, hac quidem ex causa, quod Zinnius alius fuit opinionis. Ipse ideo humanas secavi palpebras et sequentia vidi: Tarsi in cantho oculi externo obtundato terminantur sine, palpebrarum rimae limitationem haud excedente. Nec hae cartilaginum extremitates se tangunt, sed fibrillis tendinosi connectuntur, de quibus Winslowius: Les extrémités du Cartilage supérieur tiennent aux extrémités du Cartilage inférieur par des espèces de petits Ligamens. (Traité de la tête §. 271). Tarsus inferior non solum arcior, sed etiam minus stabilis est, mollior et minore praeditus elatere. Utriusque tarsi extremitas interna tendini musculi orbicularis et lacertulo tendineo fortiori, quo expansio aponeurotica musculi levatoris ab interiore latere limitatur (Zinn 249), adnectitur. Extremitates vero tarsorum externae ope ligamenti cujusdam, quod ligamentum tarseum externum nominari deberet, cum margine osseo orbitali externo conjunguntur et quasi attrahuntur. Ligamentum hoc sic constituitur: M. levator palpebrae, medium non adiens tarsum, magis versus nasum collocatus est et expansionem aponeuroticam ad limbum usque palpebrae, duriore cute factum, mittit, quae tarso brevi cellulositate adhaeret; sensim latescens et extenuatus fibrae ejusdem namo propiores magis rectae procurrunt; exteriores autem arcu ad tempora concavo extrorsum flectuntur, ut exteriorem finem tarsi attingant. — Hic vero neutquam finiuntur: sed in fasciculum collectae ultra, ad orbitae oram usque pergunt ibique affirmantur. In iis oculis, qui longā gaudent palpebrarum rimā, in quibus ideo tarsorum extremitates prope ad marginem orbitalem externum procurrunt, — ligamentum istud breve sit, necesse est; in Esthonis vero, qui anguste fissas habent palpebras, quarumque tarsi dimidiam fere pollicem, priusquam orbitae

pebrarum fima prope ad marginem orbitalem externum tendit, sed dimidium fere pollicem ab eo distat, non nisi ligamenti tarsei externi ope (vid. notam *) eidem ossi adnectitur, libere igitur inter orbitae aperturam pendet. Palpebrarum rima brevissima rite aperiri nequit, et, bulbo ipso altius subter fornice ossis frontis collocato, iris viridogrisea, superne palpebrā superiore obducta, parte inferiore tantum con-

oram attingant, terminantur — ligamentum quoque tarseum externum longius est. In tarso inferiore minus forte apparet et verisimile ab illis fibris aponeuroticis componitur, quas partim musculus levator alae nasi et labii superioris, partim m. levator anguli oris, palpebrae inferiori instratas, ad tarsum usque demittunt. Constat enim, palpebram inferiorem, parva tantum aperiendi facultate praeditam, non nisi horum musculorum ope deorsum retrahi (M. depressor palpebrae Heisteri). — Incrementum denique ligamentum nostrum tarseum externum accipit ab inferioribus musculi orbicularis fasciculis, cujus portio interna et robustior, tarso arcuissime adnexa (M. ciliaris s. Albinii), nonnullas, medio in tarso flabelliforme inchoantes fibras ad confirmandum mittit ligamentum. Easdem istas credo, quas Winslowius l. c. §. 288 sic adnotat: De-là (sc. de tendine musculi orbicularis) ces Fibres tournent les unes en haut, les autres en bas, et vont se rencontrer toutes du côté de l'angle externe, où elles s'unissent par un entrelacement particulier et très-difficile à développer. Quand on renverse cette portion du Muscle et qu'on en examine la surface postérieure, on y entrevoit une petite Bande tendineuse tres-mince, qui traverse les Fibres charnues, et les partage depuis l'union des deux Tarses jusques sur le bord Temporal de l'Orbite, où elle disparoit etc.

spicua est. Alta et profunda ista bulbi locatio causam quoque brevitatís palpebrae superioris praebet et in apertis oculis nihil hujusce teguminis cernis. Cilia, ceterum numero, crassitie, longitudine ac flexione normalia, arcum supraorbitalem tangunt cumque superciliarum pilis confluent. Palpebra inferior ab oculi bulbo antorsum venit, zygomatis elevationem petens; ambarum facies externa saepe venis varicosis insignis. Caruncula lacrymalis crassa est et nonnihil protuberat; Glandulae Meibomii uberius secernunt mucam spissam et tenacem, mox in crustas duras, semipellucidas, flavescentes abiturum. Lacrymarum latex acris et tanquam corrodens. Descripta modo oculorum fabrica magni quoque est momenti respectu situs organorum lacrymas deferentium (e.g. ad Operat. fist. lacrym.). Hac de re, quum sufficientes in praesenti afferre nequeam notiones, taceo. Plerumque tamen ductus nasalis amplus est et brevis ideoque facile inveniendus.

Videndi denique facultas satis incolumis, ni excipias, Esthonorum, qui in genere mane senescit, intra trigesimum et quadragesimum annum jam presbyopem fieri. Bulbi humores crystallinam amittunt pelluciditatem; lens stramineo tingitur colore et iris griseo-maculata fit. Pupulae serenitas in sammeti grisei abie-

micationem, vel viridem assumit colorem, quin statim timorem cieat, ne glaucoma sit exortum. Choroideae nimirum nigredo, deletis et coalitis pluribus ejusdem vasis, sensim sensimque immittitur, albescit, et coeruleum tapetum per lentis flavedinem viridem componit aspectum pupillae. Annulas quoque senilis vix non omnibus XL^{imo} vel L^{imo} anno supervenit Esthoni. Laborant tum temporis etiam modico palpebrarum fluxu pituitoso, toti genti, ut videtur, habituali. Puncta lacrymalia facile invia fiunt, unde frequens senibus venit lacrymarum stillicidium; lacrymarum ipsa scatebra serius exsiccare solet. Et cataractá correptorum haud parva est copia.

De momentis causalibus morborum ocularium inter Esthonos.

Quum non solum vivendi ratio, sed etiam clima et morbi generales, quibus praesertim obnoxii sunt Esthoni, ad praedispositionem et efformationem morborum ocularium contribuant, ex re erit, de omnibus pauca haec adnotare. In calce demum hujusce introitus nonnulla de arte *ophthalmica* inter ipsos rusticos usitata afferam.

Vivendi ratio domestica; quatenus malis

oculorum ansam praebere posset. — Inter omnes hominum ordines ruricolos certe firmissimam gaudere oporteret sanitatem, nisi partim vitia familiaria, consuetudine inveterata, regularum diaeteticarum inscitia atque vitae genus, — partim autem vera inopia et commoditatis sibi parandae impotentia in multifaria eos conjicerent pericula. Aequali, vel crudeliori fortasse sorte Esthonus noster praemittitur, utpote qui a puero jam continuis obnoxius fuit caussis morbiferis, in vitae genere latentibus.

De infantibus ill. *Baer* in diss. p. 45, ita annotat: „Recens natus Esthonus sane meliori utitur conditione, quam ejus similis infans Germanae originis, quod ei alimentum, a natura designatum, praebetur, nec mercede conducta muliercula uberibus suis eum admovet“ etc. Sed plane oblivisci videtur, quoniam detrimento reliquus corporis cultus in eum agat. Infante Esthonico lactente sordidius vix quidquid invenires. Ne loquar de casarum et conclavium inquinamentis, quorum et adulti participes sunt, — inspice, quaeso, parvulorum tantum lectulos, vel cunabula et consenties. Ex squalidis parata panniculis, rarissime mutatis, plurimum dierum excrementa imbibunt, madent et intolerabili scatent odore, quem ipse infans, fasciis pariter madidis involutus et ad occiput usque

tegamine laneo tectus, haurit. Vix post horas integras clamorem et vociferationem purgationem lectuli inquinati a matre, alibi occupata, impetrat; solvuntur quidem fasciae, sed minime aqua eluuntur; in aere exsiccatae mox denuo adhibentur. Contingit saepe, ut mater cum lactente sua mane urbem adgressa, vespere denique reveniat, quin alia, ac quibus vestitus est infans, secum habuisset indusia. Quam perniciosum hoc pro toto corpore! — Oculorum verum etiam mala innumerabilia hac ratione aut directe in praesenti sive in posterum, ob praedispositionem oculi exortam, gignuntur, — aut indirecte ex universali corporis labe fontem quaerunt. Palpebrae oedematosae atque sordibus et levis tectae sunt; secernitur jam magna copia lacrymarum acrium; mucus tenuis, e glandulis Meibomianis profluens, bulbum induit intraque palpebras huc vel illuc protenditur et semper denuo variis caussis prolucitur; qua ratione certe fieri nequit, quia habitualis tenerrimis parvulis inseratur palpebrarum blennorrhoea. Necessariam ideo et infantis naturae congruam eam existimans mater sibi persuasum habet, nulla hic administrari debere medicamina. Nonnunquam tamen, et haud sine fructu, lacte tepido ex uberibus suis oculos parvuli abluit, quod, faciei purgatione rarius insti-

tutâ, nonnullus tamen oculorum ablutionis est modus. Sed negligenter oculos abstergens lactis mox acescentis copiam relinquit et novæ irritationi ansam præbet. Saepius ad carissimum, sc. urinam confugiunt remedium: excipiunt lotium parvuli, eodemque oculos ejus purgant. Inflammatione hoc modo incensâ, medici fortasse, tanquam ultimum refugium, implorant artem, vel prius adhuc balnea adgrediuntur vaporum, ibique novam inchoant curam: exsurgendo oculos emundant, linteis fricant, aquâ denique et sapone abluunt, — quibus omnibus peractis plerumque exasperatur incendium *). Quam dein mali formam vitiatam tantum abest, ut recte dignoscat medicus, ut plerumque omisâ caussarum indagazione, ophthalmiam s. d. neonatorum meram intueri censeat. Ipsa vero

*) Haud desunt exempla, quod, perstante morbosâ quâdam prædispositione, novae plane in ejusmodi balneis exortae sunt ophthalmiae, maligniore caractere incedentes. Inveni in diario clinici nostri chirurgici talem adnotatum casum: infantes duo, puer nempe VI et puella IV annorum sub finem mensis Aprilis anni MDCCCVI in balneum perducti mox cum oculis valde inflammatis egrediuntur. Septimanâ præterlapsâ hypopia exorta sunt cum exulcerationibus in conjunctivâ et corneâ, febre insigni comitata. Ambobus, tum primum initio Maji in clinicum nostrum delatis, ill. t. t. chirurgiae professor Kauzmann curationem instituit; sed mortua est puella cachexiâ generali et tæbe totius corporis; puer vero eodem mense insanabilis demissus est.

ophthalmia modo nominata partim sporadicè parvulorum infestat oculos, partim, et quidem saepissime, veris autumnique tempore a conditionibus quibusdam popularibus, quibus infans perinde ac adultus exponitur, ortum ducit. Ad templum si è puerperio venit mater, vel alio proficiscitur, neonatum secum trahit, temptatum haud metuens noxas. Vix umquam, ut supra jam tetigi, recens exrupta ophth. neonatorum medici traditur medelae et in diariis clinici nostri chirurgici non nisi sequelas ejusdem morbi adnotatas invenio, sc. metamorphoses staphylomatosas, albugines, maculas, papulas corneae e. s. p. Singula tantum infantis Esthonicæ IV mensium describitur ophth. neonatorum, quae V ante diebus insigni cum epiphorâ, palpebrarum intumescentiâ, respirandi difficultate etc. exorta fuit:

Quodsi puerascerit Esthonus, oculorum intentiones, qualescunque locum habeant apud pueros et juvenes eruditorum in legendo, vel scribendo, vel perficiendo opera artificiosa et delicatula opificum, omnino desunt, et aciem visus exercendi frequens ei in campis et agris, quos pervagatur, exstat occasio; quo fit, ut aegrotorum, oculis captorum, ex hacce aetate (IV — XII annorum) sat parva sit copia (exceptis affectionibus oculorum scrofulosis). **Incremente**

tum, demum annorum numero, operariorum, labore rustico fungentium, adit ordinem ejusdemque noxiis ac molestiis exponitur.

Nec in adultis, quamvis ipsi ei indulgere possent, prudens oculorum cultus. Rarius faciem, sudore et pulveribus ac sordibus inquinatam, emundant; oculorum enim cum aquâ frigidâ, vel cum sapone ablationem efficacioribus jam medicaminum ophthalmicorum adnumerant remediis. Quodsi quidquid, uti solet, in oculos inciderit, statim manibus suis, terrarum pulvere, vel fimo rigentibus, bulbum abstergit, aut unguibus removeere studet irritamentum. Repetitis his manipulationibus excitata ophthalmia ab Esthono cum omni veritatis specie vento aliquo adverso, aut pulveribus, in itinere resurrectis, vel brevi: *unicæ a se creditæ caussæ* adscribitur; quid? quod, septimanis vel mensibus et annis integris præterlapsis, præsto esse corpus peregrinum — asseverat. Haud ignoramus, talia omnino rusticis viris contingere posse, sed de præconceptâ illorum opinione, quâ ipsi ad ineptissimas proluciantur curationes (vid. infra), medicorumque turbant diagnosin, exemplum afferre volui.

Talia ipsi sibi parant damna; — sed etiam habitacula momentis caussalibus in oculos sæ-

vientibus pollent, quorum maxima exhibet aër exhalationibus animalium et fumo corruptus. Hic ubi hieme juxta numerosam rustici familiam „gallinae, anseres, cum canibus locum habitationis inveniunt, nec non sæpe — oves caprae et porci commorantur“ (Baer l. c. 33) ubi aliæ res ferventes, acescentes, immo putrescentes colliguntur, — ad cloacalem usque pestem atmosphaera depravatur. Omissâ, quae a nemine negeretur, pro toto corpore exinde proficiscente noxâ, solummodo quas in oculos afferat clades commemorabo. Soemmering, Himly, Baer etc. talem, exhalationibus animalibus et excrementitiis corruptam, atmosphaeram minime ab oculis perferri posse, experientia corroborarunt; et multas hanc in rem commentationes in egregio experientissimi Ramazzini opere: *de morbis artificum* etc. reperimus. Foricariorum morbos ventilans, quamvis, inquit, pulmonibus et systemati nervoso labem affricare deberent, — tamen oculis solummodo bellum tam atrox indicunt foetidæ istae exhalationes, ut illis vitam, id est lumen, eripiant. — Vehementer admiratus est, quare soli oculi tam malo infortunio plectantur, ceteris partibus illaesis. Pari modo omnes, qui commercium habent cum rebus foetentibus puta: olearios, coriarios, saponarios, fidicinarios etc.

oculorum, ex negotio illorum proficiscente, inflammatione correptos fuisse, observavit. Incedit ophthalmia ista cum coryzâ et doloribus in fundo oculi ad sinus usque frontales extensis; rubescunt bulbus et palpebrae: *mitta simplex* a Franco-Gallis nominatur hic gradus. — Quodsi autem obnubilatur visus, perinde ac velo obduceretur, cum dolore et inflammatione insignibus; *mitta crassa* auditur (vid. Labourie, Cadet et Parmentier; Observations sur les fosses d'aïssance etc. Paris 1778). Nunc primum lubenter ei, quod de perversâ ac sordidâ infantum tractatione, eorumque ad occiput usque involutione ope linteorum madidorum et foetentium protuli — adsenties. *)

Altera, ab omnibus fere medicarum rerum expertis, cum idioticis nimis magna in procreandis oculorum morbis habita causa: *fumus* est. Sunt qui omnia cujusvis generis mala oculorum apud Esthonos unicae huic adscribant causae, obliti, tam multas alias gentes, Scotos ac et Lettonos et Rossos s. p., quin etiam singulas familias Esthonicas — fumo minime ad oculos affici, quamvis itidem domicilia habitant

*) Confer. Ph. Walther Abhandl. I, p. 401: „— mehrere der auf solchen Wegen entstandenen Ophthalmien haben einen dyskrasischen, häufig einen blennorrhöischen Charakter.“

fuliginosa, fumariis carentia. Aequali sane frequentia oculis laborarent, modo si fumus reapse morbos ocularios tam potenter excitare valeret. Sed neutiquam absolutam pro oculis sistit noxam, neque tam magni pendendus est ad gignenda oculorum incendia, quum initio tantummodo et ad breve Germanorum aliorumque ejusdem stimulo insuetorum offendit oculos, lacrymasque elicit; nec ipsi Esthoni, modo si oculis integri, perquam ab eodem molestantur. Et „omnia irritamenta, exceptis iis, quae organa destruunt, sat diu frequentes adhibita, sensim vi irritante privantur.“ Fumum vero ad illas pertinere res, quarum effectus consuetudine minus nocentes redduntur, quilibet a praeconcepta opinione alienus ingenue fatebitur. Quae quidem sententia ab ill. Dr. Krantz experientia confirmatur. *)

At ne praedispositionem quidem gignere potest fumus, quod contendit ill. *Baer* diss. c.

*) Legas: Bemerkungen über den Gang der Krankheiten der Preussischen Armee von 1812 — 1815, Rusts Magazin II, p. 37, p. 44: „Auch ist es wohl nöthig, hier beiläufig darauf aufmerksam zu machen, daß der in den Erdbütten und bei den Feldwachen aus den beständig lodernden Feuern unaufhörlich entwickelte Rauch ebenfalls keine Ophthalmien erregte, obgleich diese wegen des engen Zusammenliegens der Soldaten und wegen des so häufigen wiederholten Wechsels der Temperatur wohl zu erwarten gewesen wäre.“

p. 77: „fumo auctam sensibilitatem ad praedisponentes oculorum morborum causas“ numerans, Quomodo sensibilitatem adaugere potest, quum potius, saepius irritando, defectum incitabilitatis, saltem pro sui ipsius irritatione, producat? — Hoc vero minime negandum, eundem fumum molestissimam praebere lacesitionem in omni cujuslibet generis ophthalmia, ubi organa sensibilitas morbose jam adaucta ab ipsa inflammatione producitur et sustinetur*). Tum certe fumus pessimus exstat stimulus, quippe qui, perpetuus et inevitabilis, augendo inflammationem semper denuo ansam praebet, ut minus perferri queat. Aequo immo modo oculus integer, luci alioquin adsuefactus, in statu inflammatorio minime illam perferre valet et eo fortius lacesit.

Usus assiduus tabaci e fistulis brevissimis quodsi oculis inimicus est (Heineken, Weller), pariter apud nostrates damni esse debet, qui

*) Nonne adaucta haec oculi inflammatae sensibilitas, ex parte saltem, ab immunitate (propter inflammationem) mucosae secretionis deducenda? Comperit enim est, cunctas membranas muciparas, quae corpus ab exterorum contactu defendunt, mucosae secretionis secreto defendi, qui, dum validior viget inflammatio, haud amplius secretitur, sensibilemque membranae superficiem externarum rerum influxui obicit.

non nisi fistulis VI pollicum longis utuntur, calidoque igitur nicotianae fumo perpetuum oculos circumdant, cui accedit, quod saepius mercatores, ut melius flagret, nitri solutione imbuant petum,

Aliud e domiciliorum conditione proficiens-momentum causale in eo vertitur, quod, iisdem omni fere luce carentibus, rustici magnam diei partem (hiemis tempore) in tenebris morantur et, in calidissima fornace cubantes, continuas ad caput suscitant sanguinis congestiones*), unde necessario evenit, ut, quum primum aliquando domo egrediantur, oculis rubescentibus, luci insuetis, nec lucis, nec nivis splendorem perpeti queant et, suscitatis

*) Liceat, hic monere: ut in curandis Esthonorum, si demi remaneant, morbis ocularis, praesertim ophthalmis, bene perpendeas continuum sanguinis ad caput impetum. Nam si erecte stat aeger, caput in calidissima sub lacunari extorritur zona, dum pedibus frigidum lapideumque tangit pavementum, ubi haud raro ipsa aqua in vasis congelascit; si vero cubat in fornace fornacali, aut sedet in scrobe ante fornacem, modo totum calefacit corpus, modo faciem incendit, quibus accedit, quod vehementer cingulo, vel loro abdomen supra coxendicem colligunt Esthoni, sanguinisque in abdomine impediunt circulationem (qua etiam ratione, ut brevi adnotem, intestinorum producant dislocationes et imi ventris, praesertim hepatis, suscitant morbos ac obstructions).

oculorum doloribus, fornacis iterum quaerant tenebras. Ipse, juxta ingentem fornacis flammam sedendi — ut sermocinentur vel calefiant — mos oculorum incendiis ansam praebet, aut perstantes jam ophthalmias exasperat, quia imprudenter, vultu oculisque flagrantibus, subitam saepius admittunt temperaturae vicissitudinem, vel aerae permeanti sese exponunt. Breve ab hinc tempus mulier quaedam Esthonica, quae — maligno omine! — eodem fere autumnali praeteriti anni tempore alterum jam perdiderat oculum, meum implorabat auxilium, timens, ne altero quoque privaretur oculo. Redeuns nimirum autumnii tempestas in eo, qui restabat, oculo levem suscitaverat inflammationem; hanc minimi faciens foemina suetis fungebatur operibus et inter alia furnariam quoque exercuit, Non potuit tamen, quin oculis furni exciperet aestum. Sed validissimam inde exorta ophthalmide cum corneae ulcere, nimis sero imprudentiam suam deplorabat et utile mihi perhibuit exemplum, quanti damni morbidis oculis incauta caloribus admissio sit. *)

Praeter, quod Esthonus omnes, e ruricola-

*) Confer. Ramazzini, übersetzt von Ackermann, Stendal 1780, I, p. 129: „Die Glut des Ofens verursacht besonders heftige Augen-Entzündungen“ etc. Ph. Walther Abhandl. p. 400.

rum negotio in oculos fluentes, noxas uti alias gentes experitur, reliquum est, ut de propria quadam apud nostrates causâ, nimirum de usitata hic frumentorum flagellatione in *calescentibus aedificiis torrendo servientibus* referam. Posthabitâ omni, e fervidâ atmosphaerâ et habitu inclinato proficiscente noxâ respicias, tantum, quod non nisi nocte hic perficitur labor, quod oculi adsidio versantur in pulverum nubibus, quod rusticus, sudore diffuens, ut sese recrearet, saepius nocturnum quaerit coelum, ibique a humido et frigido insaluberrimi anni temporis excipitur aëre autumnali — et minime miraberis, *si maxima oculis captarum copia e novissimo frumenti flagellandi tempore initium et ab ipso hocce labore causam morbi repetat.*

Influxus climatici, quatenus certum morborum ocularium efficiunt cyclum. — De climatis in oculos influxibus, hac ratione consideratis, modo nonnulla in (genuinis) *Hippocratis: Επισημωσι* inveniuntur libris; quae alibi aliisque ab auctoribus fortasse adnotatae exstant animadversiones hanc in rem — me fugent. Sed magni illa Hippocratica existimo, thema hoc tractantia, dicta, et perquam doleo, me non omnia, quae ex ejusdem scriptis collegi, tecum communicare posse. — Facile intellexeris, streptuissimum illum naturae scrutatorem melius jam

perspexisse morborum ocularium cum statu corporis universali cumque conditionibus endemicis et epidemicis connexum, ac nuperrimorum temporum nonnulli ophthalmiatri, ophthalmosologiam ad taedium usque dividentes et dilacerantes.

Tempestatis natura ac vicissitudines, uti omnes sciunt, perquam in hac regione variant, et respectu anni temporum minus constanter regrediuntur et semet excipiunt, quam in plagis meridionalibus (Graeciae e. g.); at tamen quidam morborum observari potest anniversarius cyclus, quo aliud anni tempus in aliis versatur aegritudinibus (vid. Baer diss. c.), quod perinde se habeat in oculorum affectionibus, necesse est. Multum ad recurrentem hunc cyclum certe aequabilis per anni tempora laborum inter rusticos distributio confert, quam eapropter in illius cycli descriptione nullomodo negligere debemus. Graviorum autem ophthalmiae epidemicae, illarum instar, quae in Aegyptia observatae sunt, vel quae durante expeditione militari anno 1813 in exercitu Borussiae et in illis grassabatur regionibus, ubi sedes belli, nos, novissimis saltem temporibus, neququam invisere solebant. Cujus fortasse in causâ maximam vim quoad situm varietas et dissipatio est: alii enim prope mare, alii in regionibus paludo-

sis, profundis et sylvaticis, alii in siccis, celsis et arenosis jacent*); nullo vero modo annuae constitutionis tum in producendis cum in modificandis oculorum affectionibus negari potest vis, quorum illud observatu facilius est, quam hoc.

Quod autem thema, ut accuratius illustretur, magni esset libri et ingeniosissimi medici, huicce rei integram sacrantis vitam; — dum paucula tantum pro virium mearum modulo proponere et ad similes uberioresque perscrutationes adhortari audeam. Reverendorum praeceptorum, diariis clinicis utendi, permissio, nec non morbos Esthonorum oculos in clinico nostro, cujus medici auxiliarii fungebar vi-

*) Notatu tamen dignum videtur, rusticos, oram maris septentrionem et occasum versus spectantem, celsas, siccasque regiones habitantes, magis acutis corripi morbis oculariis, quam illi, qui, locis silvaticis, paludosis concessi; chronicis potius laborant vitii oculorum ac blennorrhoeis. Etiam Hippocrates in libro de aëribus aquis et locis §. V, VI de iis civitatibus, quae ad ventos frigidus sitae, ab austro vero et calidis ventis protectae sunt, scribit: Inflammatoriam habitantium creant constitutionem et juxta alios morbos acutos (febres, incendia) ὀφθαλμίας τε γίνεσθαι δια χρόνου γίνεσθαι τε σκληρὰς καὶ ἰσχυρὰς καὶ εὐθέως εἶνεσθαι τὰ ὄμματα - necesse est. Quae vero aquis palustribus ac lacustribus utuntur, et sitae sunt ad calidos ventos et ad solem §. III, IV, iis ὀφθαλμοὶ ἐπιβλίνονται ὑγροί, οὐ χαλεπαὶ καὶ ὀλιγοχρόνιοι, ἢν μήτι κατώσχη νόσημα πάγκοινων ἐκ μεταβολῆς.

cibus, observandi larga occasio — eximio mihi hac in re fuerunt adminiculo.

Ineunte anno circa Calendas Nonasque Februarias reliquiae observantur atque sequelae morborum ocularium e novissimis hieme vel autumnio hucusque protractorum. Exasperata nimirum initio hiemis oculorum incendia in exulcerationes abeunt, quibus exeditur conjunctiva membrana, vel ipsa cornea et finitur malum: sed caecus evadit aeger, vel maculis cicatricibusque, quamvis doloribus exors, inflictus. Favente nonnunquam constitutione brumali, quae ex scrofulosi proveniebant diathesi, affectiones — mitigantur, quinetiam blennorrhoeae et alia, ex relaxatione laeque organorum visus proficiscentia, vitia — modicâ proruptâ inflammatione — hoc in tempore compescuntur; ob longam vero in tuguriis inter sordes multifariasque alias causas morbigenas detentionem, ob ipsam tempestatum jam incipientem vicissitudinem, ob varios denique labores, qui frigori udoribusque exponunt Esthonorum, — mox illae denuo excitentur, necessarie elucet. — Si vero e contrario humida erat hiems et mollis atque maxime variabilis, ne remissionem quidem experiantur, qui oculis laborant, et uno tenore usque in ver protrahi mala ocularia experti sumus. Jam saepe saepius obsoleta denomina-

tionem nuncupata *Psorophthalmia*, e sordibus profecta, tibi ostenditur, inque clinici chirurgici diariis quibus hoc mense frequenter adnotata est. — Progrediente vere nonnunquam cum favonibus et austrinis multae nives et aquae, Februarius et Martius umbrosi et nubili et tepidi — quibus omnibus chronicae potissimum inflammationes et blennorrhoeae peiores redduntur. Ita e. g. Februarius anni MDCCCVI se habuit, quo ante Calendas Martias ipsoque initio Martii constanter 1 ad 3° + scalae-thermometri Reaumuriani multo cum vento et tempestate nivali observabantur. Coeperunt tum temporis ophthalmiae asthenicae, praeprimis in regionibus udis, humilibus, ad tractum fluminis Embach positae (praedia Kaster, Lunja). Grassabantur insuper, uti hic vere solent, *morbilli* et multi bulbi, hac aegritudine correpti, staphylomatosi facti sunt.

Quodsi autem non eveniret hujusmodi ver austrinum, sed serenum, aquilonium, cum procellis, ab Euro vel Septentrione gelide spirantibus, interpositis nonnunquam diebus umbrosis, et *μισδοχείμωνος* in modum procedens, — fieri non potest, quin ophthalmiae rheumaticae et catharrales ineunte Februario incipiant, quod docuit Februarius mensis annorum MDCCCVII — VIII — XIX. Alias vero illae

magis praesto esse consuescunt Martio in mense, qui, in genere caractere rheumatico - catarrhali pollens, inter Africum, Favonium et Caucum versatur, quoad frigorem ¹, 5. 7^o ostendit, quibus mox procellae multae ab Euro, vel Euro-Aquilone subintrantes, majorem invehunt frigorem. Hujus exemplo est ultima Martij anni MDCCCVIII decas. Tam validae utique observabantur tunc temporis ophthalmiae, ut plurimas hypopia exceperint ⁴). Aequabili tempestate et rite incedens Martius vix non omnibus ophthalmiis carere potest; exemplo anni MDCCCX.

Jam, modo si bona et propensa imminet constitutio, Aprilis solvuntur, quae a hyeme restabant oculorum affectiones, ad summum in Majum usque aequali vigre vigent. Quam maxime perspicue vitia oculorum syphilitica ac scrofulosa emendantur, et ultimum horum symptomata lucis impatientia remanet. Ast et novissime haecce impatientia lucis nunc obruit infantes ac homines, aetate proveciores, diathesi arthritica conflictos, viragines et mulieres mensium anomalis laborantes, quippe quae

⁴) Similia invenies in Hippocratis popularium lib. I, sect. II et Aphorism. sect. III, No. XII, confer. Ph. Walther Abhandl. a. d. Chir. etc. I, p. 399, ubi Eurum ac Aquilonium ut frequentes verae ophthalmiis profert causas.

veris tempore congestionibus ad caput et oculos, cum maxima lucis fuga (nyctalopiam aemulante) perquam vexari consuescunt. Et Ramazzini tale quidquam observabat, nobiscum communicat in capite *de agriculturalum morbia*, oper. c. (Oper. omnia Londini MDCCXVIII, p. 363) „Rem satis curiosam in nostratibus Agriculis, ac in Pueris praesertim, non semel observavi. Mense Martio circa Aequinoctium, Pueri, intra decennium circiter, in magnam visus hebetudinem incidunt, ac per totam diem parum accipere nihil vident; sicque coecorum ad instar palantes, et errabundi, per campos discurrunt; ubi autem nox accesserit, satis commode vident, quae affectio sine ullo remedio sponte desinit, nam circa medium Aprilis mensem acies oculorum pristina reintegratur. Saepius, ubi data est occasio, horum Puerorum observavi oculos et magnam in Pupilla deprehendi dilatationem.“ — Quam lucis impatientiam ex parte a mutata ver versus vitae ratione deduxerim, quum rusticus noster e fuliginosis suis tuguriis repente ad acre oxygenioque scatens elicitur divum et laboriosam degere incipit vitam; — ex parte vero illam pro symptoma haberim epidemiae morbillosae, simul grassantis ⁵), quae

⁵) Hippocraticus quidam auctor, vere grassantibus tussibus et faucium inflammationibus: quibusdam nyctalopis

veris inprimis amat tempus et haud semper sub formâ exanthematis efflorescentis correpta designat individua. Invasere nos morbilli vere anni MDCCCVI; sed per longum postea tempus anginis sese manifestabant et praecipue multifariis infantes cruciabant molestiis, dum ipsum exanthema rarissime cursum suum absolvit. Acuta quae nominantur exanthemata in hisce a scrofulosi, syphilide, scabie et ceteris malis cutaneis diutinis, afflictis infantibus raro normali gaudent decursu. Nihilominus tamen eorum corpora epidemiam participant et solâ tussiculâ, vel anginis, vel ophthalmiis, vel lucis impatientiâ implicantur, dum post annos, redeuntibus morbillis, rite, eisdem aegrescunt. Verum etiam, qui ex ordine jam perpassi sunt morbum hunc exanthematicum ad insequentis epidemiae tempus saepius liberi non evadunt: veniunt talibus lucifuga, epiphora, faucium raucedines e. s. p., quin caussa manifestetur. Omnium vero aegerrime patiuntur ii infantes, qui ex praegressâ infectione morbillosâ — oculorum sibi accesserint passiones (ophth. chron., maculae, lacrymar. stillicid.).

atque hi magis pueris evenire, observavit. Et notatu dignam fuisse hanc nyctalopiam ex eo plane elucet, quod iterum atque iterum de eadem loquitur. Populor. libri VI, sect. VII.

Hanc pro nihilo non considerantes sententiam, nonnullis oculorûm passionum exacerbationibus rite mederi valeamus, quas false ex scrofulosâ, vel aliâ cachexiâ proficiscentes credebamus.

Sed Aprilis describenda erat constitutio. Favonii et Africi multam affertunt pluviam et umbrâsam tempestatem, quae calidis serenisque diebus alternant. Observamus nunc febres (vid. diss. c. Baerii) et multas ophthalmias cum affectione generali conjunctas*). Saepius e contrario ventosus est et udus, et multum frigorem post calorem mittit, quibus vicissitudinibus perquam in oculos saevit, (e. g. anno MDCCCVI, ubi imbres magnae et 1,5 ad summum 9°+). Gignuntur frequenter ophthalmiae catarrhales, quae sub specie ophthalmiae angularis, vel inflammationis marginum palpebrarum atque epiphorae incedere consuescunt**). In genere sordidissimi labores hoc tempore perficiuntur; stercora e. g. in agros evehuntur, quod ceteroquin negotium maximâ ex parte mulieribus ac pueris commissum est. Palpebrarum inde affectiones iis non raras.

Minus fertilis morborum ocularium — aetas est, quâ inveterata ipsa mala bene sanantur, vel

*) Confer. Hippocr. de aërib. aq. et loc. XXV.

**) Confer. Hippocr. populor. libr. III, sect. III.

saltem compescuntur. Restant maculae, nublulae, albugines, staphylomata et ad omne tempus invenienda ciliarum deviatio. A difficilioribus, dum flagrat sol exsiccaturque solum, operibus agrestibus alius plane character omnibus imprimatur morbis, hinc et merae tibi praebentur bulbi ipsius inflammationes *) a noxiis externis saepe exortae celerique incedentes passu. Negligentia, vel quod reapse labores omittere non licet, miser impeditur aeger, quo minus statim artis impleret praesidia; ingravescit malum et altius ascendit, quam ut visus servari, vel dirae prohiberi possent sequelae. Rubescentes tum ex regula videmus rusticorum oculos, conjunctivaeque vasa sanguine impleta; bulbus quasi justo major apparet, et videndi facultas quin causam apertam reperires, hebes. Haecce symptomata a nimia corporis in flagrante aestate declinatoque habitu intentione oriri, dubitare nolim; ad quae multorum, praepremis mulierum, consuetudo, intecto incedere capite**), qua hoc continuo solis ex-

*) Confer. Hippocr. Aphor. sect. III, No. XVI, XI, XII et XXI.

**) „La coutume, d'aller tête nue, occasionoit d'ophtalmies, la cecité, et l'on sait, de quelle multitude de recettes la médecine grecque étoit surchargée contre ces affections,“ Perry in Bibliothèque médicale: Chapeau.

ponitur radiis, longique, sudore madidi et pulveribus inquinati, capilli, nullo tegumine coërciti, faciem circumfluunt et mechanice oculos, uti observatum, laedunt. Nec alios fugit, oculos per molestias et defatigationes varie affici *). Matutino tempore apud nostrates talia evanescere, sed ad vesperum denuo exasperari, quin etiam in vertiginem et caliginem abire solent **). Esthonus sat incautus ad dulcem aufugit frumenti spiritum, quo oculos roborare studet, verum diram nunc prolicit inflammationem, ocysime in hypopium, vel abscessus et fistulas — quae Julio et Augusto saepe saepius proferuntur — abundam. Alii aqua frigidâ oculos abluunt, quod omnino esset utile, modo si cum

*) Majo mense, — quo cohortes Borussiae, in Franco-Gallia stativa agentes, armis ludere coeperunt, dum initio calores et tempestates et pluviae, dein siccitates ac Aquilones et Euro-Aquilones cum noctibus frigidis regnabant, — multae, molestiae et pulveribus auctae, observabantur ophthalmiae, quae utique validiora poposcerunt antiphlogistica. Rust Magaz. IV, p. 508. Catervarum, quae in campis degebat pars, molestiis magis defatigata, sola ophthalmiis vexabatur (ibid. 513).

**) G. Ephr. Herrmann idem in Polonia observabat et hanc diurnam caecitatem versus matutinum tempus evanuisse, tempore vero pomeridiano denuo incepisse, refert. Aflectio haec imminutâ Julii calore plane cessabat. Primit. physico-med. Polon. Vol. I, p. 236. — Confer. Hippocr. Aphor. sect. III, No. V, XVII et popularium libr. VI, sect. VII. Ph. Walther Abhandl. I, p. 401.

grano salis adhibitum fuerit; plerumque vero ophthalmias, speciem catarrhalium, vel rheumaticarum prae se ferentes, procreant. In diariis clinicis jam ophthalmias vasculosas et sclerophthalmias cum conjunctivae destructionibus adnotatas invenimus. Qui in regionibus arenosis, vel calcariis, durante aestatis siccitate, circumferuntur pulveres tum mechanice cum chemice in agris laborantium oculos laedunt et modicam saltem marginum palpebrarum sustinent irri-tationem.

Augustus et September, per diem calore insignes, acres noctu, ruricolam sub nocturno saepe detinent coelo, atque denuo et majori numero catarrhales et rheumaticas oculorum affectiones pariunt. Augusto mense anni MDCCCVI e. g., quo, regnantibus Austro et Africo, hydrargyrum in thermometro 10 inter et 16° + scalae Reaumurianae, in barometro 29" 5'" inter et 26" 9'" altitudinis versabatur, et noctes perquam erant frigidae — „catarrhalis — uti adnotatum est — grassabatur ophthalmitis, facile malignam assumens formam, optime vero vesicatoriis mitiganda" *), Jam adest tempus messis secalis

*) Rust. Magaz. III, p. 317, 484: „In den in Frankreich stehenden preussischen Lazarethen kamen im Septbr. 1817, wo die erste Hälfte anhaltend warm und trocken, das Ende veränderlich mit trocknen und feuchten Tagen war und einen

quae, quum falce secantur frumenta, molestior certe fit ac alibi, et, quod ill. Ph. Walther in eximio suo de Hypopio tractatiunculo *), nobis etiam atque etiam observare contingit: frequentia nimirum laesionum bulbi ab illabentibus aristis et festucis, quas hypopia excipere solent, vel pravae cicatrices, visum turbantes.

Quodsi, regnantibus Austro et Africo, serenus est Septembris et modice calidus, cum noctibus haud justo frigidioribus (e. g. a. MDCCCVI ubi die 5, 10° + cum paucis pluviis; et a. MDCCCVIII) rusticus haud tam molestus evadit, ac si acris spirat Eurus, vel Euro-Aquilo vel Euronotus (MDCCCVII). Ophthalmiae validae sunt et anthropologicam poscunt medelam **). Minor om-

rheumatischen Krankheitscharakter mit Gastrizismus erzeugte: nur hin und wieder Augen-Entzündungen vor, die außer Hartnäckigkeit bei denjenigen Individuen, welche schon früher an den Augen gelitten hatten, einen böartigen Charakter zeigten. Als die Witterung im October trocken, rauh mit O. und N. O. Winden war, zeigte die Augen-Entzündung sich mehr als eine reinentzündliche, ohne böartiges Gepräge. Im regnichten, feuchten, mit W. und N. W. Winden geplagten November und Anfang des Decbr., war der Krankheitscharakter nervös, in der letzten Decade des Decbr., wo der Frost eintrat, war er entzündlich: es zeigten sich in allen Hospitälern mehr als zeither Augen-Entzündungen, jedoch mit einem ganz gutartigen Verlauf.

*) Merkwürdige Heilung eines Eiterauges, nebst Bemerkungen etc. 2te Aufl. Landshut 1819.

**) Confer. Ph. Walther l. c. de hypopio, p. 31. —

ninó ophth. catarrhalium est numerus, quando cum tempestate umbrosá, tepidá — spirat Eurus (MDCCCVIII), sed e contrario qui fluxibus aegrotant magis patiuntur.

Sequens autem anni tempus vix respectu constitutionis describi potest, quum ne ex longiori quidem annorum serie ullam statuere liceat regulam; nam, qui modo serenitate et suavitate pravae aestatis infucunditatem corrigit autumnus, mox ventosus, pluvius, omnes boreales terrores in homines emittit; tempestive modo hibernum adgreditur gelus, modo nimis tarde. Laborum vero ruralium constantia aequabilem fere characterem morbis imprimere valet. Incipiunt indigeni nocte frumenta flagellare, quod negotium, uti supra comperimus, momentis nocivis pollet et per longum temporis spatium similes semper procreat oculorum affectiones. In omnibus opificijs pulverulentis praeter pulmones quam maxime oculos infestari, Ramazzini innumeris locis testatur (vid. pistores, molitores, frumenti cribratores etc.). — Interdiu adhuc in campis morantur, vel itinera faciunt, ut vendant producta, vel, quae in hiemem necessaria, afferant. Omnes viatorum molestias experiuntur. Accedit perversa Esthonorum consuetudo, calefaciendi causá saepius torridas fuliginosasque adgredi cauponas, ubique ope potuum spirituoso-

rum sibi vires et calores ad ebrietatem usque refocillare. Rubescentes et splendentes oculos tunc denuo ventis acerrime spirantibus atque frigori exponunt. Has temperaturae vicissitudinum injurias cognoscenti facile explicatu, cur de itinere nonnunquam dirá vexati ophthalmiá revertant *). Similia ruricolae domi contingunt, si impenetrabiles, aquis stagnantibus repletas adit silvas, integrosque in iis commoratur dies. Haec omnia ophthalmias chronicas, blennorrhoeas et alias oculorum affectiones diutinas resuscitant et sustentant, nec non acutas procreant et in hiemem usque per X — XII septimanas trahunt, quá de re multa in diariis clinicis reperiuntur exempla. Jam quoque varia illa oculorum mala, ex cachexiá quádám peculiarem characterem petentia, surgunt; nam plurimi inveterati morbi hoc tempore recrudescunt ideoque topicos, quibuscum conjunguntur, in conspectum produnt affectus. Praeprimis syphilitica atque arthritica oculorum vitia maligno incedunt passu et facillime in bulbi, vel saltem singularum ejusdem partium destructionem vertuntur. Nivosus splendor intolerabilis est et lucis ideo impatientia ut omnium fere morborum ocularium symptoma exstat. Macu-

*) Confer. Ph. Walther, Abhandl. etc. p. 400.

lae et nubeculae corneae ob coarctationem pupulae molestiores redduntur; increscit amblyopiarum, in autumnum cum affectionibus universalibus complicatarum, numerus, inque ipsam abeunt amaurosin. — Mora omnium horum malorum difiniri nequit, quum tam multifariae extant et tam graves admittantur ab ipsis aegrotis noxae, ut nec morbi, nec constitutionis epidemicae — etsi adesset — bona indoles, neque artis praesidia eas vincere queant. Plerumque morbi ocularii s. d. *pedissequi* — saepe omnino insanabiles — in ver usque protrahuntur et non nisi hujus favente tempestate, vel ratione vitae mutata, in melius converti possunt. Sed quam multi, qui laeti hiemis quaerebant lassitudinem, soluta hieme oculis capti incassum almae naturae dulcedines umquam intueri sperant! Ad anni demum finem (mense Decembris) et in Januario graviores rursus rheumaticae ophthalmiae saevire incipiunt, praecipue si, constante molliore tempestate, singuli acres dies frigore et ventis subintran. Exemplo sint MDCCCV — VI — VII, quorum Decembres tepidi et austri ophthalmiisque rheumaticis insignes fuerunt.

Fugitivo quasi calamo paucula tantummodo de vitiorum ocularium apud nostrates cyclo exhibens, strenuigribus compatriotis observatori-

bus hanc uberius emendandam omitto rem et ad enumerandos memet accingo universales morbos, qui, inter Esthonos obvii, oculorum malis aliquatenus peculiarem imprimere valent characterem, vel saltem aliquem cum iis agnoscunt connexum. Ne vero regurgitem, quae hoc de connexu ab aliis scripta sunt, tantummodo ingenium, quo isti generales morbi respectu oculorum affectuum apud indigenos incedunt, brevissime delineare tentabo.

De statu vtilitudinis adversae Esthonorum, quatenus participant oculi. — Ratio haec, de qua loquuturus sum, inter statum corporis universalem et topicam oculorum aegritudinem novissimis primum temporibus uberius dilucidata est. Hippocrates, quamvis eum haud lateret connexus ille, tamen „sympathicorum, e dyscrasia, vel cachexia proficiscentium“ malorum ocularium nusquam facit mentionem. Nonne veritate pollet Beenii illud effatum (Lehre v. d. Augenkrankh. I, p. 11) in oculis jam diu cognosci posse futurum malum universale, priusquam hoc ullum aliud prodiderit symptoma. Et quoties affectionis oculariae cognitio diagnosin morbi cujusdam universalis complet. Quod et nos saepe in dijudicandis morbis Esthonorum conducere debet; altera enim alteram suffulcire debet diagnosin,

Primitus de febribus, utpote omnium frequentissimis morbis, ita scribo. Duplicem ad oculos morbos agnoscunt rationem: vel procreantur hi illis, vel plane fugantur*). Qui e febre provenire videntur morb. ocul. ut plurimum inter ejusdem symptomata localis affectionis ad instar affuerunt v. c. in febre rheumatica, vel alia, ubi eadem, quae ad suscitandam febrem valebant caussae, ophthalmitidi quoque gignendae pares fuerant. Solvitur febris, neglecta vero ophthalmia partim ob ipsius vehementiam in suppurationem, exulcerationem etc. partim ob veterem oculorum praedispotionem in chronicam abt blennorrhoeam; vel latens quaedam in corpore dyscrasia, febre excitata, fortuitae levidensque oculi inflammationi suam, uti solet, impertitur indolem et pertinax dominium in affectum aperte exercet organon, quinimo nunc primum in oculo sese manifestare studet. Hac ex caussa quidam, febre vexatus, cum ophthalmia, syphiliticae iritidis etc. speciem praeseferente evadit. Sic etiam multarum ciliorum introversionum et blennorrhoearum caussam febrem perpressam credunt Esthoni, quum melius „longa in tenebris et fumo supra fornacem (ubi jacent aegroti) commoratione palpebrarumque diutinâ clausione

*) De eâ febre, quae validam ophthalmitidem etc. symptomatice concomitatur, hic sermo non est.

glandulas, jam pridem laxatas, in blennorrhoeam coërcitas, vel tarsum inversum esse“ dicerent. Quid? quod non raro ulcus corneae tibi offertur, cujus caussam febrem fuisse contendit aegrotus, dum omnino de simultaneo oculorum incendio, quod fortasse re vera haud animadvertit, tacet. Valet autem apud eos sententia: post hoc, ergo propter hoc! *Mediate* ergo febres (et Esthonorum in febribus regimen) oculorum affectionibus ansam praebere, facile intelliges. Alias in febribus hecticis et statu corporis asthenico vel minimae injuriae, oculis allatae, dira suscitare queunt incendia, quod ex-labe totius corporis ac organi deduci debet.

Salutares verum etiam cognoscimus febres. Uti enim in tractandis diutinis morbis universalibus multum e superventa febre speramus salutis, sic et oculorum fluxus pituitosi, vel stagnantes inter corneae lamellas humores (maculae, obscuraciones etc.) febre discutuntur. Exorta nimirum ejusmodi universi corporis rebellionem ab organo hoc singulo quasi derivatur attentio et quae in ejusdem vitam influxerunt corporis abnormitates nunc in totum distribuuntur corpus; quinetiam crises universales localem solvendo morbum pares sunt. Hujusce indolis febres vernales esse solent. Duo mihi in memoria sunt casus, in quibus subintrante febre primitus

quidem exasperari videbatur chronica ophthalmia, qua laborabant aegroti; sed expugnata ista febre nova quasi vita visus organon animabat, alacrioremque excitabat processum vegetativum, quo ocysime maculae, stagnantesque inter corneae lamellas lymphae solutae sunt. — Illa vero febris, — qua periodis climactericis, vel quo adolescit puer et pubescit puella, tanquam universalis organismi lucta, ut totalis corporis producat immutatio, exprimitur, — morbidis quoque oculis felici est omine. Eliminator nunc naturae medicatricis ope id, quod ophthalmiis, blennorrhoeis oculorum e. c. fomitem hactenus paraverat; debellatur e. g. scrophulosis, status pituitosus e. s. p. quorum varia symptomata, erga et illa, quae in oculis apparebant, jam evanescant, necesse est.

Magna inter Esthonas ad *inflammationes topicas*, praesertim erysipelas, invenitur pro- pensio. Provenit haec ex peculiari epidemicae constitutionis ingenio, primarum viarum statu morbido atque ex consensu superficiei corporis cum hepate. Multis vero affectionibus tum chronicis cum acutis hepar apud nostrates laborare, notum est. Dyspepsiae, haemorrhoides, digestionis labes, colicae sedule perscrutanti cum intumescencia, induratione, doloribus hujusce visceris conjunctas sese praebent. Grandis exin-

de malorum capitis cohors; omnem fere capitis laesionem, contusiones, ictus, quos inter lignandum acquirunt, — erysipelas excipere solet; turbatur visus scintillis, tumescit facies, tumescunt palpebrae, bulbumque, universalem turbam participantem, claudunt. Quodsi etiam omitteremus, supra nominatas hepatis affectiones nonnunquam oculorum malis peregrina plane apponere symptomata, — negare tamen nequimus, eas maximam in tractandis oculorum morbis mereri considerationem, — quod vero saepe omnino negligitur. Circulationis in abdomine turbationes sanguinem superiora versus impellunt, bulbi vasa implent; et periodice parvulae inflammationes — congestiones nominandae, nec hirudinibus, nec in genere topicis remediis debellandae — oculos infestant. Visus nebulosus, coloratus, lentis color stramineus, et fortasse iridis color variegatus, iritidis speciem prae se ferens (quin cetera symptomata rite congruant) saepe ex eodem fonte apud Esthonas proveniunt et nihilo plus, ac cutis decoloratio topicis remediis amovetur. Saepissime hic egregii Ph. Walther effatum probatur, quo adnotat: Krankheiten, deren Zunder in den Unterleibseingeweiden liegt, pflanzen sich bis zu dem Auge fort: daher giebt es eine wahre Hypochondrie und Hysterie des Auges; und viele

Arten der Gesichtsschwäche, der Myodepsie, Crupsie und anderer, sind von wahrhaft hypochondrischer Art, Abhandl. I, p. 385.

Quamquam parvi tantum ponderis esse dicuntur *morbilli* (Baer diss. p. 70) quoad decursum et sanationem, bene tamen notandum, eos in infantibus Esthonicis diathesi scrofulosa, immunditie et maxima circa regimen negligentia insignibus, majore impetu oculos obruere, acsuetum est. Persaepe nictitatio palpebrarum, fluxus pituitosus, ulcera conjunctivae, fistulae lacrymales e. s. p., si altius inquiris, ab exanthematico hocce morbo deduci possunt. — *Morbilli* nimirum a parentibus plane non cognoscuntur, quo fit, ut in primo morbi stadio multas in oculos noxias admittant, vel ophthalmiam concomitantem, catarrhalis in modo incedentem, pro morbi cardine, infantes ideo oculorum tantum morbo laborare, credant. Perversa exinde suorum remediorum ophthalmicorum adhibitione oculi valde cruciantur, vel admissio, in stadio desquamationis, refrigerio falsoque regimine malignis ophthalmiis magna cum lucifuga etc. implicantur. Nec propensiore sorte gaudent oculi, etsi dignosceretur morbus: consueto more *) aegrotum pellibus munitum in

*) Vid. S. R. Winkler: Von einigen der gewöhnlichen Krankheiten der Esthn. Bauern. Reval 1793. Cap. 13.

calidia fuliginosisque tuguriis detinent, dum eundem, ut foriat, in divum exportant. Oculi incensi, fumo lacessati, fortasse medici auxilio adhuc sanari potuissent, sibi vero ipsis commissi tam multas gravesque injurias vincere nequeunt, Pariter se habet cum *scarlatina*, nisi quod haec periculosior pro toto corpore incedit et neglecta, vel reperiussa, quos oculis mutilaverit morti et terris prodit.

Quum *variolarum* pestis nostris etiam regionibus coarctata sit, pro oculis sane parum ab eadem timendum. Inexcusabilis vero rusticorum negligentia et obatinata beneficam Jenneri inventam gubernique praecepta saepius adhuc irrita reddunt, quo fit, ut nec nuperrima tempora epidemiis variolarum grassantium careant*). Rure ideo artem faciens medicus proh dolor! hacce lue recenter correptos videbit oculos, dum et cicatrices, albugines, *synechiae*, et aliae variolarum sequelae e pristinis temporibus quotidie ei occurrunt. Ne turberis, fac, in diagnosi, quum persuaderent tibi parentes, infantulum per variolarum vaccinarum insitionem

*) Ex morborum ocularium, variolosa infectione productorum, in clinici diarii adnotatione elucet, veras variolas passim grassatas esse annis 1803, 1805 (autumno), 1806 (vere), 1807 (aestate et autumno), 1808 (aestate), 1809 (vere), 1818 (aestate), 1820 (vere).

quondam munitum fuisse adversus humanas variolas; — symptomatibus objectivis, ex ipsâ morbi formâ sumptis, fideas, nam insitio ista, ab imperitis facta, incassum et praesidio destituta esse potest.

Quamvis *scabies* frequentissime inveniatur inter Esthonos et satis maligna interdum est *) — dira tamen psorophthalmia illa, a Beer descripta, atque inter Judaeos reperienda, hic neutiquam obvia esse solet. Hoc saltem mihi persuasum habeo, non omnes psorophthalmias, quas in diariis clinicis a directore defuncto ill. Kauzmann hoc nomine designatas reperimus, jure istam mereri denominationem, sed ad efflorescentias scrofulosas, blepharophthalmias glandulosas etc. pertinere; nam proferuntur nobis hodie plures illarum formæ, quæ, si veteri de psorophthalmitide opinioni adhaereremus, hoc nomine nuncupandæ venirent. Ceterum Esthonus lubenter totum corpus scabiei concedit,

*) Levior ejusdem gradus (scabies senilis Sprengelii, qui aridior, nec pus verum concipit, sed crustas format fuscas parvasque, dum facies immunis est, crura potius infestat et brachia, quam digitos) vix non omnes obsidet Esthonos, quorum totum truncum et extremitates, *exceptis* nunquam *manibus*, inhabitat et quasi ad œconomiam organismi pertinet. In manibus fortasse ob maximam cutis rigiditatem et ob stereoris, terrarum equorumque manipulationem efflorescere nequit scabies.

ita, ut ne minus quidem vicarium pro illâ agere deberent oculi. Quod de immediatâ puris translatione in palpebras judicandum, quilibet ex eo derivabit, quod rusticus non solas palpebras, sed etiam nares, aures, labia totamque faciem digitis suis obtrectat, quin in hisce, aequali tenerrimâ cuticulâ obtectis, partibus pustulas observemus scabiosas.

Scrofulosum morbum et rachitidem saepissime Esthonorum liberos invadere quis est, qui nesciat? Quum foetui jam inseritur diathesis illa et quasi inculcatur, magna neonatorum pars, macilento et labescente corpore mundum adiens, primo vel secundo ætatis anno atrophiam emoritur, quam incantatione infantibus ab inimicis illatam opinantur; qua de causâ vix umquam medici implorant auxilium, nec hujusmodi infantulorum mala ocularia tibi offerunt. Vehementer ideo erras, si ex eo, quod nunquam vidisti ophth. s. d. neonatorum, eam rationem esse inter Esthonos concluderes. Ipsæ matres ei medentur, vel aniculae et tegit sepulcrum infestum deinde exitum. — Apud nos præcipue prima scrofulosorum invenitur classis (torpida amplectens individua): pueri pastosi, tumidi, segnes sunt, cum tardo ingenio et corpore laxo; puellarum tamen plurimæ graciles sunt, irritabiles, vivaces, ad alteram referendæ

classsem (in qua irritabilia subjecta). Secundum hanc corporis constitutionem morborum ocularium in adules quodque diversa est: illis plures superveniunt blennorrhoeae, exulcerationes, his autem incendia acuta, fluxus serosi s. p. — Formae vero morbi scrofulosi, hic obviae, sunt: in tenerrimis infantulis exanthemata, atrophiae et hydrocephalus, nec non nervorum resolutiones, convulsiones e tumoribus glandularum, nervorum truncos, vel ipsum cerebrum comprimentibus. Iis non raro etiam abscessus frigidi superveniunt circa pelvim, crura et caput. In puerili aetate ventris inflatio enormis, glandularum submaxillarium tumores et suppuratio, juncturarum intumescantiae, paedarthrocace varii generis, praecipue in acetabulo; ulcera labiorum, narium, vel ipsarum faucium, syphilitica aemulancia, vel cum ipsa syphilide complicata; — lippiunt et diutinis inflammationibus laborant oculi; in adultis, quibus priorum annorum noxis et aegritudinibus superstites esse contigit, (nam dimidia natorum pars ante quindecimum interimitur annum) tumores albi, scrofulae fugaces, caries, coxalgiae et prae omnibus oculorum variae affectiones inveniuntur. Hae vero saepe numero, postquam vitae ratio mutata, — quum ad labores rurales accingitur adolescens — vividiorē reddiderit vegetationem et

cachexiam illam plane obvelaverit, difficillime, qua e scrofuloso fonte manantes, dignotum sunt. Deficientibus universalis morbi signis primo intuitu hominem, XVIII — XXIV annos natum, vix scrofulosa ophthalmia aegrotare crederes; sed constitutio laxa, tenera, cutis color albicans, facies tumida et denique ophthalmica symptomata tibi probent: ejusmodi cachexiam penitus eradicari nequire, quod in curandis oculorum morbis bene perpendendum erit. In junioribus labes illa clarior patescit, verum etiam hac de causa curam ophthalmicam plerumque difficiliorem, quinetiam omnino impossibilem reddit, quia incassum diathesin universalem debellare studebis. Plurima a naturae inter periodos climactericas molitionibus speranda.

Terrima *syphilidos* pestis anno MID trans Poloniam (vid. Richter Geschichte der Mediz. in Russl. I, p. 257) Rossiam adgressa versus finem saeculi XVII primum in Livonia observabatur (Körper Krankh. der Livländischen Bauern, p. 82). Mirum in modum virus venereum supra omnes harum terrarum regiones prolatum est. Tenerrimi infantes, ex utero vix editi, maximos infectionis cruciatus patiuntur et mehercle! foetum jam syphilide corruptum fuisse facillime crederes. Pueri et puellae V — XII annorum ul-

ceribus syphiliticis faucium, nasi, extremitatum, cum carie et doloribus osteocopi lacerantur; omnium maxime vero provectoris aetatis homines hacce labe pestifera trucidantur: conjux uxorem, uxor conjugem, parentes liberos et liberi parentes illo veneno inficiunt; — gliscit virus inter familiares et paganos, quin venereum inter se habuerint commercium. Rarius ideo circa genitalia invenis symptomata recentis infectionis, sc. cancos et bubones*), nisi in eis feminis, quarum parva copia, quae Veneri vulgivaegae adjuraverint. — Pro eo autem lues syphilitica confirmata in maximam extensionem per Esthonas divagatur: in infantibus praeprimis exanthemata, pus concipientia, praesto sunt, nec non narium et faucium ulcera; circa genitalia exanthemata majora apparent, exulcerantur et postea ulcera, specifico morbi caractere praedita, relinquunt. Saepenumero praesente diathesi scrofulosa luis syphiliticae forma ita permutatur, ut longa experientia, rectaque ingenii tum populi cum ejusdem morborum cognitione opus sit, qua vera morbi indoles eruatur. In puerili aetate jam dolores osteocopi, sed raro; vulgatius: ulcera in tibia, clavícula, capite, naso et

*) Lues quoque gonorrhoeica inter Esthonas rara; exitiosissima igitur ophthalm. gonorrhoeica fere nunquam observari licet.

faucibus; in his pluries nil nisi rubedinem, mucosam flavo obductam, et spumam videbis; adest quoque peculiaris vocis corruptio, raucitas — ad quae post aliquod tempus verae exulcerationes. — In adultis et aetate provectoris dolores osteocopi vehementissimi, ulcera teterrima, praecipue quo ossa cuti subterjacent, in pedibus, sterno, antibrachiis, pelvi etc. caries ossium capitis; narium fauciumque destructio. Cephalalgia intolerabilis, in deliria et furorem abunda, creberrime corruptionem ossis basilaris calvariae ut causam agnoscit. — Talia X—XV—XX annos perseverant, donec summa debilitas, alimentorumque inopia — scorbutum aliosque morbos producentes — miserae eorum vitae finem imponit. Quousque, quaeso, horrendae istae inter nostrates indulgeamus pesti, quam summa pauperrimae gentis socordia, minime vero morum pravitas, iis obtrudit! — Et ne tantillum quidem remisit nostris temporibus haecce labe (confer. Körber, p. 82).

Ex oculorum affectionibus syphiliticis, quae genuinae; vel secundariae cum universalis morbi indole arcte congruunt, potissime nominandae veniunt: Ophthalmiae internae; choroideae, corporis ciliaris, nervi optici inflammationes, iritides; hinc iridos, quin etiam pupulae decoloratio, coarctatio angularis, — corneae versus

ambitum nubiliatio, suffusio: aegrotum syphilitide laborare, vel quondam laboravisse, tibi indicant. Dolores nocturni intolerabiles in osse frontis et fundo orbitae cum visus obnubilatione, vel deperditione et exophthalmiae a. corruptione et carie ossium, orbitam constituentium, et ab exostosis nascuntur. Quum saepissime syphilis hic complicetur cum scorbuto, quod dignotum facilius est, ac curatu, etiam in oculos cachexia illa suos edit effectus: albuginea squalida, lurida est, palpebrae varicosae e. s. p. In ejusmodi aegrotis quae fortuitis e caussis excitata erat ophthalmia acerrime malignum ophthalmoblepharorrhoeae assumit characterem et brevi destructione bulbi finitur. — Peculiaris exstat adhuc choroideae affectio syphilitica, in mere syphiliticis absque complicatione scorbutica a colendo meo praeceptore Moier pluries observata et nomine *staphyloma choroideae syphiliticum* insignita, — quae, simul cum iritide, vel ophth. interna syphiliticis ingrediens, aut easdem excipiens, non nisi constante mercurii subl. corros. usu compescenda erat. — In genere infantes rarius, quam adulti, syphiliticis oculorum affectionibus corripiuntur, quae tunc illos praecipue sub forma blepharo- et ophthalmoblepharorrhoeae (gonorrhoeae oculi syphiliticae) obruunt, et ex immediatâ, dum per vaginam

transierunt, infectione, vel puris ad oculos translatione proficiscere videntur. *)

Scorbutus. Humida plarium regionum indoles, annonarum sterilitas, rusticorum stultitia, quâ autumnis, messe collectâ, omnia vendunt et ad vernale tempus necessario carent (cujus quidem damna nuper institutis horreis publicis minora facta, sed nequiquam penitus remota sunt) — panis bonae et carnis penuria et aliae res noxiae sât saepe scorbutum producere valent. Venit haecce labes maximâ debilitate, facie cachecticâ, colore faciei et oculorum squalido, ulceribus extremitatum, intumescentiâ carunculae lacrymalis et palpebrarum livida — insignis. Gravissimas vero clades ejusdem cum syphilitide complicatio inducere solet, quum alter morbus alterius prohibeat sanationem. Horrenda in iis ophthalmoblepharorrhoea provenire potest e levi oculorum inflammatione catarrhali, quae citissima bulbi destructione finitur.

Sane miror, popularem meum, ill. Baer

*) Körper l. c. parumper de oculorum affectionibus syphiliticis profert et p. 84 falsa miscere videtur, dicens: „die Augen selbst sind entzündet und trüben. Die Feuchtigkeiten des Auges gerinnen, werden trübe und dunkel. Die Häute der Augen, die Thränenrüse (caruncula sc. lacrymalis) und der Thrämensack werden von der aus dem letztern beständig hervorquellenden scharfen Feuchtigkeit verwundet und angegriffen.“

diss. c. p. 70) „iis medicis, qui arthritidem inter Esthonas saepe se invenisse dicunt, non omnino assentire posse.“ Nonne saepe conqueruntur Esthoni de doloribus circa articulos praesertim geau, manus et humeri? nonne obviae tibi fuerunt intumescantiae et distorsiones juncturarum arthriticae simul cum dyspepsia et aliis symptomatibus arthritidi propriis? In manibus ac pedibus, nunquam ab angustis caligis pressis, invenies digitorum, praeprimis pollicis, juncturas globuli ad instar tumidas. Pari numero capituli dolores cum affectionibus oculorum in conspectum veniunt; — immo quo rarius exquisitus arthritidis insultus observatur, eo frequentius oculi affectio arthritica sola incedit. Haec fibrosas oculi partes obsidere solet, palpebrarum tarsus et scleroticam, sed etiam internas evidenter corrumpit. Iridos motus segnes, ipsa rigidior, pupula angusta, oblonga; margo iridis interna simbriosa et quasi adusta apparet; corporis vitrei, lentisque crystallinae mixtio perversa. Amblyopiae, cataractae, degeneraciones glaucomatosae exinde oriri solent. Qui caput occupant dolores oculos quoque dilacerant. Maximam ex parte individua 40—50 annorum utriusque sexus hacce laborant cachexia, sed interdum et juniores hereditate morbo nominato affliguntur.

Reliquum est, ut parca, quae omnino in oculos vim suam exserunt, de sequiore proferram sexu.

Magna nimirum inter feminas Esthonicas exstat differentia respectu constitutionis: aliae tenerae, debiles sunt, aliae vero virili gaudent robore atque energeticum ostendunt corpus. Constitutio haec eo validior evadit, quo maturius ad labores rurales etc. impelluntur et in quandam abit virilitatem. Istiusmodi viragines crebrae; sceletum iis firmum, musculis solidis obtectum, neque laeugo nonnullis circa mentum deest. Menstrua serotina XVIII—XX anno veniunt, quinimo se haud prius ac XXIII—XXIV anno catameniis usas fuisse contendunt. Aliis certe nullae exinde molestiae, aliis vero maximae: parvus sanguinis fluxus, irregularis, dolorosus, congestiones in caput et alias partes — opportunitas denique sthenica. Exasperantur quae e pristinis temporibus affuerint ophthalmiae, pertinacissimae sanationisque nesciae redduntur, vel plane novae, cum febre, exurgunt et pari modo omnem respuunt medelam. Exacerbationes patiuntur menstruo tempore, dum reliquo tempore fluxu oculorum blennorrhoeico vexantur. Hunc statum deteriore saepe penumero reddit progerminans nova ciliorum series (distichiasis), vel bulbi a singulis novis ex-

ortis ciliis irritatio, — quod reapse crebrius in ejusmodi individuis observavi, perinde ac natura vim plasticam abundantem in novas consumeret formationes *). Nil absque medela universali perpetratur, in qua praecipue abnormem functionis menstruae conditionem diligenter perpendeas et quantum fieri potest ad normam reducas, necesse est. Remanentes oculorum affectus (distichiasis, corneae obscurationes, ulcera s. p.) suam requirunt curationem.

Contrariae fere conditiones in puellis teneris, delicatulis, cum gracili corporis formatione, praepremis si mature nuptae fuerint, saepeque pepererint et diutissime lactent infantulos — obviae sunt. Haec inevitabilis fere sequela est fluor albus diuturnus, quo nonnullae jam durante virginitate vexabantur. Disponuntur verum etiam oculi ad similem pituitae fluxum, qui modo vicarias gerit vices, modo — et saepius — simul incedit cum fluore albo. In utroque casu ex attentâ observatione intimus causalis inter constitutionem generalem topicamque affectionem nexus elucet. Crebro mulieres Esthonicae fluorem album et oculorum blennorrhoeam simul exorta fuisse contendunt, utriusque causam

*) Inter XIX, quae in clinico chirurgico observatae sunt distichiasis, tantum III in viris, XVI vero in feminis Esthonicis obviae erant.

parturi difficili, vel rudiori obstetricis tractationi adscribunt.

Nec scirrhi mammarum ac uteri hic rari et frequens quoque virorum diathesis carcinomatosa. Theden certissimum hujusce diatheseos symptoma rubedinem et intumescientiam, nec non blennorrhoeam marginum palpebrarum habet. Multoties nobis occurrit carcinoma cataneum, capitis integumenta consumens et tandem trans frontem in palpebras abiens, quas plane devorat. Horrendum in memoria teneo exemplum Esthoni, qui, cunctis capillis hac ratione orbatus, calvario cicatricibus nitentibus oblecto, — oculos palpebris privatos in me fixit, — Et carbunculus Esthonicus, (vulgo pustula livida) uberius exquisitus et cum omni veritatis specie ab amicissimo meo C. Hunnio quoad naturam et causam dissertus — peculiari modo oculos devastat, Palpebras, vel ipsum bulbum obsidens perfectam harum partium destructionem adducit. Rarius tantummodo maculas corneae, ulcera, vel excrescentias carnosas relinquere solet.

Venio tandem ad saepissimam formae malignioris morborum ocularium inter Esthones causam, quae ex mea opinione est

Ars ophthalmica ab ipsis rusticis exercita. — Tantum abest, ut popularem spernerem medici-

nam, ut eam potius magis Hippocraticis cum praeceptis convenientem existimam, ac anxiam et ambiguum secundum multas indicationes confertam medicaminum accumulationem; — sed remedium ophthalmicorum adhibitio apud indigenos tam inepta est, ut quisque eam ex toto animo condemnet. Multae experientiae longaeque collocationes cum Esthonis me docuerunt, novies e denis oculorum captos, priusquam medico sese ostendant, vel ineptissima domi expertos fuisse remedia, quin aliquam curationis, suo arbitrio susceptae, mentionem faciant. Hostem ignotum debellare studens medicus medicamina praescribit, quorum effectus perversa curatione domestica frustratur; vehementer enim falleris, si credas, Esthonum, qui a te receperit apta remedia, abstenturum a suis praesidiis: ut plurimum utraque miscit, nisi quemvis arbitratorum remedium usum severe prohibeas. — Magna vero culpa in ipsis medicis haeret, quippe qui in libris de re medica, in usum idiotarum conscriptis, non solum commendant medicamina ophthalmica, sed etiam varias eorundem praescribunt formulas, quae rebus acris et chemicis praeparatis pollent. Nec ipsa dosis stricte designatur; — praescribit e. g. venerabilis auctor: recipe vitrioli coerulei, vel albi etc. *frustulam*, quam solve in aquae poculo, donec

aqua albescentem assumit colorem e. s. p. Et ejusmodi formulas quaelibet anus, ex traditione vel libris sibi arrogatas, promiscue adhibere audet. Nec dominae pagorum, vel sacerdotes, vel administri a medela ophthalmica abstinent et suis remediis quasi ensibus occoecant miseros, qui illis confiderunt. Tamen permulti ne perspicere quidem audent oculos morbidos, contententes cum Ovidio.

„Quum spectant oculi laesos, — laeduntur et ipsi.“

Maxime vero vituperandi sunt pharmacopolae, qui contra omnes leges politicae medicinalis rusticis absque ordinatione medici vendunt, quin etiam ex suo arbitrio commendant medicamentum in morbis universalibus, cum oculorum. Quantus est abusus Zinparis, mercurii tum vivi cum praeparati e. s. p. quae in syphilidem adhibent Esthoni! — Sic etiam in oculos graviter peccant. Sed mehercle! jam tempus est, tantae petulantiae finem imponere.

Esthonorum abstrusio atque timiditas suspiciosa impediunt, quo minus ex ordine medico enarrant, quod in aegritudinibus domi jam experti sint et semper tibi, quaerenti: „an quaedam in usum jam vocariat remedia?“ — „se nil adhibuisse!“ respondent. Iterum atque iterum eos inquiras necesse est, sed minime, ac si

opprobrio iis faceres medelam suam; humaniter potius unius alteriusve inter eos usitatorum medicaminum mentionem faciens quidquid ex iis elicies. Hac ipsa ex causa nonnulla eorum remedium ophthalmicorum communicabo, ut medicus, accuratius de illis interrogans, veritatem resciceret et latentem saepenumero exasperationum — quas alioquin nullo pacto sibi explicare potest — eruat causam. Moneo vero, haud prius componas diagnosin et curam morbi cujusdam ocularii, quam per varios modos perfectam extorseris confessionem. Rusticum his in casibus potius mentiri, quam veriloqui, credere malle; — quod centies expertus sum.

Potissima et frequentissime in usum vocata praesidia haec sunt: Ablutiones oculorum aqua fontana (Laette wessi), vel pluviali, vel palustri. Praeferunt primam, quia satis est frigida, alioquin et glaciem in aqua solvunt, ut, quam fieri potest, frigida sit: calorem ex oculis extrahi dicunt. Generatim laude dignum venit remedium, cujus efficaciam in puero Esthónico XV annorum ex praedio Cambi observavi*). Atta-

*) Ophthalmia laborans scrofulosa in clinico nostro chirurgico tractatus et paullulum emendatus aestate domum dimissus est. Ibiq; bis in die oculos cum aqua quadam martiali, ex fonte scaturiente, lavabat et per annum integrum, dum

men lavando oculos duplici ratione vitium committere possunt, seu temperaturam, sive qualitate aquarum. Scimus, eos saepenumero ardentes a labore et aestatis ardore oculos gelu recreare, vel, ophthalmia correptos, calorem ex oculis ope aquae frigidae etc. extrahere studere. Repentine supprimunt organi intensionem ejusdemque exhalationem tenent, ac eodem remedio, quo medicus inflammationem compescit, novam plane producant, quae omnino rheumaticam, a permeante frigidiore aura exortam, aemulat ophthalmiam. Qualitate lotio nocet, quum utensiliis ligneis sordidis, nauseoso saepius adspectu nos offendentibus, aquam hauriunt, limetisque insuper sordidis, rigidis extergunt oculos. Huic praecipue infantes obnoxii sunt, nam adulti plerumque ex ipso fonte sumunt aquam.

Magis adhuc in consuetudine, et in quavis ophthalmia recenti adhibita, agroti est urina,

hanc continuavit lotionem a malo oculario liberatus est. Tum altera aestate in alium transpositus est locum, tria miliaria rossica a priori dissitum, ubi quidem lavationem oculorum continuabat, sed non nisi cum aqua palustri. Oculorum conditione statim in pejus mutata, nova exorta est ophthalmia, quae puerum, iterum nostrum implorare auxilium, coegit. Uberius examinatus qua potissimum hujus depravationis causam: defectum aquae illius fontanae protulit, utpote quae quam optime oculis suis conduxerat. Plures fontes omnino maxima pietate colunt.

quæcum abluunt bulbum. Maximos excitat dolores et saepius, quam ter, raro adhibetur, quia validam incendit inflammationem et intolerabiles infert cruciatus. Attamen, hanc omnino negligentes experientiam, in posterum rursus adhibent urinam: „quod enim open ferre debet, — acre sit, necesse est!“ Alii tantummodo frontem urinis lavant; praecipue si inchoaverit ophthalmia cum capitis doloribus.

Spiritum quoque frumenti perinde ac faucibus, sic etiam oculis gratum putant, illisque ideo nonnunquam detrahunt, oculos ut abluant; — maximi vero hisce est damni: dolores acutissimos excitat et obnubilationes corneae producit, vel potius liquorem inter corneae lamellas contentum cogit. Vidi rusticum quemdam, qui inter lignandum supra dextrum oculum a prosiliente ligni segmento gravem acceperat ictum. Bulbum ipsum nullo modo tactum, nec laesum fuisse, affirmavit aegrotus; quum vero dolores acerbiores essent, spiritu frumenti multoties lavabat bulbum tantumque excitavit incendium, ut tertia die cornea perforata atque iris prolapsa sit.

Etiam cataplasmatibus utuntur, quorum duae sunt species: cataplasma frigidum et cataplasma tepidum. Illud, mihi narravit sapiens quidam, aestate, ubi aestus magna, hoc vero hieme, ubi

frigus, adhibetur. Est autem iis cataplasma frigidum: arena mobilis s. fluvialis madida, vel lutum — panniculo linteo involuta, oculisque saepius frigide imposita; tepidum vero cataplasma ex recente fimo caballino, pari modo involuto, conficitur. Utroque calorem ex oculis extrahi contendunt; sed saepius a cataplasmate tepido oedemata, inflammationes marginum palpebrarum et valida exoriri solent conjunctivitides. Nonnulli ambobus cataplasmatibus simul, sed alternis vicibus, utuntur. Molitor quidam Esthonicus, levi ophthalmia catarrhali correptus, idonea a colendo meo praeceptore *Moier* acceperat remedia. Septimanam praeterlapsam cum intensissima rediit chemosi et hypopio camerae anterioris. Exasperatio haec repentina, perstante tamen propensa tempestate, eo difficilior intellectu erat, quo constantius „remedia adhibita in culpa esse“ contendebat aegrotus. Post longam exquisitionem, „se, praeter remedia praescripta, arenam fluvialem madidam atque fimum caballinum oculo alternatim alligasse“ confessus est.

Praeterea varias herbas in auxilium vocant et oculis admovent e, g. folia nicotianae aqua, vel urinam imbuta, quae fortasse virtute narcotica pollent, folia, tussilaginis farfarae, bardanae s. p.

Artificiosiora et verisimile a medicis recepta sunt:

Inflatio sacchari pulverisati et pulveris zingiberis atque piperis. Vel sincerum adhibent saccharum, vel inter duos stanneos orbis contritum, donec griseum adsumserit colorem, cum oxydulo igitur et festucis regulinis stanni commixtum sit. — Validissimas exinde ophthalmias externas abortas vidi, quibus tunica sclerotica griseum, squalidum acquisiverat adspectum, cornea vero intumuerat et obscura facta erat; corneae conjunctiva villosa evasit, Spissus et tenax mucus palpebras obtegebat et invicem glutinabat. Pro saccharo nonnunquam mel oculis illinunt, quod tamen aceto commiscere solent. Ophthalmias vasculosas (ubi purpureus apparet bulbus) aceto puro, vel paullo diluto debellare student.

Applicant porro sal culinare, quod supra ignem fortem in lebetē ferreo detonant, nomineque salis cocti (ketetud - sola) insigniunt. Depressā palpebrā inferiore granulum fere oculo inspergunt. Corrosive agit, exulceratque tunicam adnatam; splendet bulbus, rubescit et valde lucem abhorret, dum lacrymis perpetuis inundatur.

Pari modo pulverem vitrioli coerulei (sin-

nine-kiwwi) oculis inflant, vel cum frustulo ejusdem bulbum contrectant, vel solutionem adhibent. Ipsi quoque componunt lapidem ophthalmicum ex alumine, vitriolo albo, lapide calaminari et cerussa, vel e vitriolo albo, sale ammoniaco et alumine. Plerumque talis compositio a doctis praeparatur. Artifex ille omnes, quae proferantur, oculorum affectiones cum arcano suo medicamine tractat, modo bulbum, modo palpebras, modo cilia contrectans, vel ejusdemque solutionem applicans.

In cataractam vitrioli coeruleum, saccharum cum stanno tritum et faeces in lapide cotario residuas miscunt. Minus usitatae aluminis cum albumine mixtio est.

Densas corneae maculas oleo terebinthinae et pulvere sacchari debellant, nec praesentem timent inflammationem.

Vesiculis in palpebrarum conjunctiva exortis, palpebrae revertuntur et cepis excorticatis tractantur.

Nec chirurgicam spernunt tractationem:

Cultro deradunt internam palpebrarum superficiem, si glandulae Meibomianae intumescant et in conspectum prodirent, Pro fae-

cibus eas habent atque inquinamentis, quae removendae essent. Vesiculas in bulbo resurrectas cultro tonsorio perscindere amant, cujus tractationis stupendum vidi exemplum *). Palmaria vero eorum operatio, si recesseris a lapidum cancrorum insitionem, est ciliorum evellatio. Non solum in trichiasi atque entropio hanc instituunt extractionem, sed etiam in longe aliis ophthalmiis et oculorum affectionibus. Perficitur operatio illa praepremis a vetulis et fabris ferrariis ope forficum, quas ipsi fabricant, vel ope cultri et unguis digiti indicis, hunc ad finem conservati. Etiam corpora peregrina hoc modo, vel exsugendo, ex oculo remove student.

Sufficiant haec, ut eruas, quanta in se colligere possunt et reapse colligunt damna Esthoni, quantam amentiam carissimum et tenerrimum corporis organon ejusmodi remediis infestant. Quo plura simul adhibere potest Esthonus, eo

*) Puella quaedam ex praedio Carlowa sub flagellando frumenta acerbum oculorum sentiebat dolorem et consilio aniculae cujusdam spiritu frumenti bulbos abluit. Altera die intensissimam vigente inflammationem — pessima illa anus frustulum vitrioli coerulei oculo immisit et tertia die, exorto per corneam corrosam iridos prolapsu, *cultro tonsorio* corneam aperuit, ut eximeret partem prolapsam, quo facto mox corpus vitreum sequutum, bulbus vero destructus est.

feliciorum sperat eventum, donec, omnibus incassum adhibitis, medici tandem, qua ultimum refugium, precatur auxilium, nec non ejusdem operam, continuata suorum remediorum adhibitione, frustrat.

Quum hicce catalogus capitula de influxu climatis, vivendi rationis in oculos etc. explicare, ipseque ab illis explicari debeat, ex re esse mihi videbatur, 1) omnes casus secundum menses, in quibus observati sunt, enumerare, ut facilius copiam et rationem morborum ocularium in quoevis mense et anni tempore obviorem invicem comparare posses; 2) omnes morbos ocularios in tres colligere cohortes, quarum prima comprehenderet ophthalmias, quae, evidentem cum tempestatum indole agnoscentes connexum, — vel plane eadem productae sunt, vel saltem ab eadem exasperationem receperunt. *Cohors secunda* diutinas amplectitur oculorum affectiones, quae ex aliis, ac climaticis, profectae sunt potentiis nocentibus, iisque sustinebantur. Et ex his illos diutinos oculorum adfectus, qui ciliorum irritationem ut causam agnoscunt, signo: *c tr.* (i. e.: *c trichosi*) tibi denotavi, ut illius morbi frequentia mox eluceat. Inter has ciliorum deviationes XIX versantur distichias; reliquae ad trichias et entropia pertinent; longe maximum vero numerum conaubia entropii cum trichiasi sistunt. *Tertia* denique cohors morbos ocularios ostendit pedissequos — omnis tamen cataractis, quarum haud parva copia. Jam per se patet, tantum *Esthonicos in hoc catalogo enumeratos esse oculorum captos*, quum reliqui minime nostum in censum veniant.

C a t a l o g u s

Morborum oculorum XIII in annis in clinico chirurgico Dorpatensi tractatorum.

I. Oculorum affectiones, quae e constitutione epidemica profectae sunt.

(Ophth. catarrh. rheumat. e. s. p.)

Anno.	Januar.	Februar.	Martius.	Aprilis.	Majus.	Junius.	Julius.	August.	Septbr.	Octobr.	Novbr.	Decbr.
1805	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	1	3
1806	2	5	3	7	1	—	2	3*)	2	7	4	5
1807	7	7	4	4	4	—	1	4	4	7	1	—**)
1808	1	4	4	3	4	1	1	3	2	2	—	—
1809	—	1	4	3	—	—	1	4	2	2	4	2
1810	—	2	1	1	1	—	—	—	—	—	—	—
1815-16	—	4	6	3	3	—	—	1	1	3	4	2
1817-18	3	7	4	2	—	1	—	2	4	6	—	1
1819-20	10	10	4	10	5	5	—	5	9	7	10	3
1821	1	13	8	8	2	—	—	2	1	6	—	—
Summa	24	53	38	41	20	7	5	24	25	42	24	16

*) Valida simul grassatur oph. catarrhal. pariter ac Augusto mense 1807 et 1808; quae tamen ut plurimum non nisi in ulterioribus stadiis proferuntur conf. III.

**) Novi aegroti haud recepti sunt; qui vero in clinico versabantur exacerbationes experti sunt; syphilitici salivatione cruciabantur.

II. Oculorum affectiones inflammatoriae chronicae.

Anno.	Januar.	Februar.	Martius.	Aprilis.	Majus.	Junius.	Julius.	August.	Septbr.	Octob.	Novbr.	Decbr.
1805	—	—	—	—	—	—	—	—	—	6+ 6ctr.	2+ 3ctr.	1+ 3ctr.
1806	1+ 3ctr.	1+ 1ctr.	3+ 5ctr.	1+ 2ctr.	6+ 7ctr.	3+ 5ctr.	5+ 4ctr.	0+ 6ctr.	3+ 12ctr.	3+ 5	1+ 4	3+ 0
1807	2+ 1	1+ 3	2+ 0	0+ 4	2+ 5	4+ 4	0+ 1	5+ 4	2+ 0	1+ 1	0+ 4	1+ 1
1808	1+ 0	1+ 1	1+ 4	0+ 3	0+ 5	1+ 2	0+ 1	3+ 4	2+ 2	2+ 3	0+ 0	0+ 0
1809	0+ 0	1+ 2	1+ 4	3+ 0	2+ 2	1+ 1	0+ 0	3+ 6	1+ 1	1+ 1	1+ 1	0+ 0
1810	0+ 0	0+ 2	2+ 3	1+ 0	3+ 0	—	—	—	—	—	—	—
1815-16	0+ 0	0+ 2	1+ 3	2+ 2	0+ 2	1+ 5	—	2+ 1	4+ 2	0+ 3	1+ 1	1+ 0
1817-18	0+ 3	3+ 1	3+ 2	0+ 2	1+ 0	0+ 1	—	0+ 1	—	1+ 2	0+ 1	0+ 0
1819-20	3+ 1	0+ 4	0+ 2	0+ 4	4+ 1	0+ 2	—	0+ 2	2+ 4	0+ 3	1+ 2	1+ 1
1821	2+ 2	2+ 1	1+ 1	0+ 0	2+ 0	—	1+ 1	0+ 2	1+ 0	—	—	—
Summa	9+ 10	9+ 17	14+ 24	7+ 17	20+ 22	10+ 20	6+ 7	13+ 26	15+ 21	14+ 24	6+ 16	7+ 5

Inter 339 diutinas oculorum affectiones → 209 eorum deviationes versabantur.

III. Morbi ocularii pedissequi.

(Maculae obscurationes, hyopia, ulcera, staphylomata.)

Anno.	Januar.	Februar.	Martius.	Aprilis.	Majus.	Junius.	Julius.	August.	Septbr.	Octob.	Novbr.	Decbr.
1805	—	—	—	—	—	—	—	—	—	4	5	7
1806	5	8	8	4	6	4	3	5	13*)	4	1	2
1807	7	2	9	1	5	2	1	10*)	2	—	1	—
1808	—	1	4	1	3	2	3	8*)	4	2	2	2
1809	—	1	3	5	3	2	—	4	12*)	—	5	2
1810	—	2	3	2	—	—	—	—	—	—	—	—
1815-16	—	—	—	—	2	—	—	—	5	2	—	—
1817-18	—	—	3	2	—	1	—	—	2	3	—	1
1819-20	2	1	1	1	1	—	—	1	9	1	—	1
1821	3	2	2	—	—	—	1	3	1	—	—	—
Summa	17	17	33	16	20	11	8	31	48	16	14	15

*) Multa hyopia.